



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXIX. Gregorii Papae I. Ad Felicem Episcopvm Acropolitanvm.  
Visitationem Velinae, Buxentinae, & Blandanae iniungit ecclesiarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

\* conti-  
gerit,

intercessionibus veniam promereri posse cognoscite, sed omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse\* confite- rit, ab officio & a communione alienos faciendos procul dubio noueritis.

EPISTOLA XXVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM RAVENNATEM.

De Viulando & Gauiniano diacono.

*Gregorius Ioanni episcopo Rauennati.*

**I**URGANTIVM controuersias celeri sententia terminare & aequitati procul dubio conuenit & vigori. Quia ergo Viulandus presentium lator fraternitatis tuæ cognitionem implorat, diaconem Gauinianum, contra quem se habere causam commemorat, fraternitas tua ad suum faciat accersiri iudicium, & amota dilatione, causæ veritatem subtili inquisitione discutiat, & quæcumque iustitiæ ordo dictauerit, ac tua fuerit sententia definitum, & obseruare & implere partes modis omnibus compellantur.

EPISTOLA XXIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD FELICEM EPISCOPVM ACROPOLITANVM.

Plin. lib. 3.  
cap. 5. 31.  
32. 33. & 34.

Visitationem Velinæ, Buxentinæ, & Blandanæ iniungit ecclesiarum.

*Gregorius Felici episcopo de Acropoli.*

**Q**VONIAM Velina, Buxentina, & Blandana ecclesiæ, quæ tibi in vicino sunt constitutæ, sacerdotali noscuntur vacare regimine, propterea fraternitati tuæ earum solenniter operam visitationis iniunximus; illud præ omnibus commonentes, vt vbi præfatarum ecclesiarum, siue dioceseos earum, vel diaconi, siue religiosæ personæ inuenta fuerint, districtè canoniceque vt viuant modis omnibus admonere studebis: ne passim eis in qualibet re sit excedendi licentia, sed tuo moderamine atque prouisione inculpabiliter in qua sunt conuersatione vel habitu perseuerent; sciturus, quia si quid secus accesserit, tuo neglectui modis omnibus imputari. Presbyteros quoque vel

Grat. 12.  
q. 1. c. 14.  
Anf. lib. 7.  
cap. 7.

diaconos, si in aliquibus ecclesiis præuideris ordinandos, si tales personæ fuerint, quæ canonicis regulis morum vel vitæ qualitate nullo modo reprobentur, habebis per omnia ordinandi licentiam. Ministeria vero earumdem ecclesiarum, vbi sint recondita, sollicita indagatione perquire: quibus repertis ad nostram notionem perducere festinato, vt cognoscentes quid fiendum sit, adiutore Domino disponamus.

## EPISTOLA XXX.

## GREGORII PAPÆ I.

AD LVCILLVM EPISCOPVM DE MELLITA.

De clericis terras Africanæ ecclesiæ tenentibus.

*Gregorius Lucillo episcopo de Mellita.*

**O**FFICII nostri decet valde propositum, subiectis magnopere suadere, vt rebus debeant seruare fidem in placitis: ne dum inconsiderate lucrandi rapiuntur studio, pacificam vertant conuentionem in iurgium. Peruenit itaque ad nos, fraternitatis tuæ clericos, terras Africanæ tenentes ecclesiæ, quod pensionem earumdem possessionum dare contemnant. Quod si verum est, & ad fraternitatis tuæ hæc sunt perlata notitiam, tua in hoc desidia eorum culpa nutrita est. Ob quam rem scriptis te presentibus admonemus, quatenus ad persoluendam pensionem nulla mōra nullaque excusatione eosdem clericos vti permittas. Sed si fidem honestatis contemplatione seruare postponunt, tua districtione compulsi, quæ rationi conueniunt cogantur implere. Nam si huius rei ad nos deno querela recurrerit, & de te aliam æstimationem habere incipiemus, & in illo, vt dignum est, vindicabimus.

## EPISTOLA XXXI.

## GREGORII PAPÆ I.

AD BENENATVM EPISCOPVM.

Cumanam &amp; \* Misenam vnitas præcipit esse ecclesias. \* Misenam

*Gregorius Benenato episcopo.*

Grat. 16. q.  
1. cap. 48.  
Anselm. lib.  
6. cap. 10.  
Polyc. lib.  
3. cap. 30.

**E**T temporis qualitas, & vicinitas nos locorum inuitat, vt Cumanam atque Misenam vnire debeamus ec-